

Zeitschrift: Divus Thomas
Band: 17 (1939)

Artikel: Pius XII P.M.
Autor: [s.n.]
DOI: <https://doi.org/10.5169/seals-762526>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften auf E-Periodica. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen sowie auf Social Media-Kanälen oder Webseiten ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. [Mehr erfahren](#)

Conditions d'utilisation


L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. La reproduction d'images dans des publications imprimées ou en ligne ainsi que sur des canaux de médias sociaux ou des sites web n'est autorisée qu'avec l'accord préalable des détenteurs des droits. [En savoir plus](#)

Terms of use

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. Publishing images in print and online publications, as well as on social media channels or websites, is only permitted with the prior consent of the rights holders. [Find out more](#)

Download PDF: 03.04.2026

ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>



(Foto Felici, Roma)

PIVS · XII · P · M

SALVE · SANCTE · PATER · VIVE · VIGEQVE
SERVA · IVSTITIAM · TVERE · ECCLESIAM · SALVA · POPVLOS
NAM · TV · SOLVS · POTES
TRANQVILLA · PACE · IVVARE · MORTALES

« Divus Thomas », Editores.

BEATISSIMO PATRI ET DOMINO SANCTISSIMO NOSTRO

PIO XII

REVERENTISSIME

S. P. D.

RECTOR ATQUE SENATUS

UNIVERSITATIS FRIBURGENSIS HELVETIORUM

MAXIMA LAETITIA AFFECTI SUMUS CUM SUB VESPERUM
EIUS DIEI QUI ERAT A. D. VI NON. MART. AUDIVIMUS OMNIUM
OPINIONE CELERIUS ELECTUM IAM ESSE NOVUM S. PETRI SUC-
CESSOREM SACRUMQUE COLLEGIUM EXTULISSE AD SUMMI
PONTIFICIS GRADUM ATQUE HONOREM CARDINALEM EMINEN-
TISSIMUM EUGENIUM PACELLI QUIPPE QUI FAUSTISSIMA IPSIUS
NATURAE INDOLE PRAEDITUS CUM MULTIS VARIISQUE VIRTU-
TIBUS EXCELLAT VELUT INSIGNI RERUM DIVINARUM HUMANA-
RUMQUE DOCTRINA AC PERITIA ANIMI PIETATE SINCERA RELI-
GIONIS ET CONFIRMANDAE ET PROPAGANDAE ARDENTI STUDIO
SINGULARI IN PAUPERES INFELICESQUE MISERICORDIA ATQUE
CLEMENTIA TUM RARO INGENII ACUMINE MIRAQUE PRUDENTIA
NEC NON EXIMIA IN HOMINIBUS REBUSQUE RECTE IUDICANDIS
SUBTILITATE UT ALIIS TEMPORIBUS SIC TUNC MAXIME CUM
GRAVISSIMO FUNGEBATUR MUNERE CARDINALIS A SECRETIS
STATUS TANTUM CETEROS SUPERAVERIT UT DUBITANDUM NON
VIDEATUR QUIN FUTURUM SIT UT IS QUEM ELEGERUNT PATRES
EMINENTISSIMI PROPECTO AMPLISSIMUM ILLUD IN ECCLESIA
OFFICIUM NON MODO CUM ADMIRABILI DIGNITATE AC PERFEC-
TIONE SED ETIAM CUM SUMMO OMNIUM EMOLUMENTO ADMI-
NISTRET TAMQUAM PRINCIPUM REGUMQUE PATER ET JESU

CHRISTI IN TERRA VICARIUS GUBERNANS VERUMQUE VERITATIS
MAGISTRUM SE PRAESTANS ET STRENUUM IUSTITIAE VINDICEM.

QUAE CUM ITA SINT ACADEMIAE FRIBURGENSIS PROFES-
SORES ET DISCIPULI MIRUM INDE CUNCTI PERCIPIUNT GAUDIUM
QUOD SIBI LICEAT CONCESSUMQUE SIT PROPALAM PROFITERI
TIBI SE PATER BEATISSIME ET NUNC ESSE DEVOTISSIMOS ET OB-
SECUTUROS SEMPER STUDIOSSISIME IN EAQUE CUI ADHUC FIDE-
LITER INSERVIERINT DOCTRINA CHRISTIANA FORTITER ATQUE
INTREPIDE USQUE LABORATUROS ID IMPRIMIS CONTENDENTES
DILIGENTISSIME UT CONSOCIATIS OMNIUM VIRIBUS LITTERAE
ARTESQUE LIBERALES ITEMQUE RERUM NATURALIUM INVE-
STIGATIONES MAGIS MAGISQUE PROMOVEANTUR ATQUE PROFI-
CIANT ADHIBITIS CUIUSVIS GENERIS ADIUMENTIS RATIONIS
HUMANAE DIVINI FAVORIS LUMINE CLARISSIME SPLENDETE
COLLUMSTRATAE.

QUA IN TE OBSERVANTIA AC VERECUNDIA PENITUS IMBUTIS
NOBIS HOC VIDETUR SUMMAE ESSE CURAE OPORTERE UT EX
INTIMA MENTE ELATO TIBI IN S. PETRI SEDEM GRATULEMUR PIA
VOTA PRO VALETUDINE ET SALUTE TUA NUNCUPANTES SIMUL-
QUE PRECEMUR A DEO OPTIMO MAXIMO UTI QUAECUMQUE
AD PACEM CONCORDIAMQUE INTER DIVERSOS ORBIS TERRA-
RUM POPULOS STABILIENDAM ATQUE CONSERVANDAM VEL
IPSE TU INCIPIES VEL AB ILLUSTRISSIMO CUI SUCCESSISTI PON-
TIFICE PIO XI INCEPTA PERSEQUERIS NUMINE PROPITIO FELICEM
AD FINEM PERDUCANTUR REGNIQUE TUI PROSPERITAS ET
GLORIA NON SOLUM INCOLUMIS SERVETUR ATQUE INTACTA
VERUM ETIAM AUGEATUR IN DIEM FLOREATQUE AC VIREAT
PER LONGAM ANNORUM SERIEM.

QUOD VERO FORTE CONTIGIT UT HOC IPSO ANNO QUO
TU BEATISSIME PATER IN SUPREMUM TOTIUS ECCLESIAE LOCUM
ASCENDISTI NOS AGGREDIAMUR AD UNIVERSITATIS NOSTRAE
DECIM ABHINC LUSTRIS NATAE MEMORIAM RITE AC SOLLEM-
NITER CELEBRANDAM HAC OPPORTUNITATE IN SPEM ETIAM
CERTIOREM ADDUCIMUR FORE UT QUA OMNI TEMPORE ERGA

NOS GRATIA AC BENEVOLENTIA USI SUNT EI QUI ANTE TE S. PETRI SEDEM OBTINUERUNT EANDEM TU QUOQUE COMITER NOBIS LARGIARIS.

TALI AUTEM STUDIO IN NOS PROPENSO UT TIBI PLACEAT NOS AMPECTI NUNC IPSUM EO MAIORE DESIDERIO EXPETENDUM OPTANDUMQUE VIDETUR QUOD GRANDE QUODDAM ET MAGNIFICUM OPUS SUSCEPTUM HABEMUS EXSTRUENDO AEDIFICIUM NOVUM AMPLISSIMUMQUE QUO THEOLOGORUM IURISCONSULTORUM PHILOSOPHORUM ITEM COMPREHENDANTUR AUDITORIA SEMINARIAQUE QUEMADMODUM NUPER AD QUAE- STIONES NATURALES MELIUS FACILIUSQUE PERSCRUTANDAS COMPLURES OFFICINAE SIVE AMPLIFICATEAE ET INSTRUMENTIS RECENTISSIMIS ADORNATAE SUNT SIVE OMNINO DE INTEGRO CONSTRUCTAE.

PROVOLUTI IGITUR HUMILITER AD PEDES SANCTITATIS TUAE OMNIBUS PRECIBUS A TE IMPLORAMUS BENEDICTIONEM APOSTOLICAM TANQUAM LAETUM ET IUCUNDUM AUGURIUM PROSPERAE ATQUE QUIETAE IN OMNE TEMPUS FUTURUM CONDITIONIS CARISSIMAE NOSTRAE ALMAE MATRIS FRIBURGENSIS.

DABAMUS FRIBURGI HELVETIORUM A. D. XVII KAL. APR. ANNI P. CHR. N. MDCCCXXXIX.

Segreteria di Stato
di Sua Santità

Dal Vaticano, die 22 Aprilis 1939.

Reverendissime Pater,

Augusto Pontifici gratae evenerunt litterae, quae Ipsi ad Petrianum Solium evecto tua ac Senatus istius Universitatis studiorum vota protulerunt, communes obsequii et amoris sensus aperuerunt.

Manifesto exinde eluxit vetus illa praeclari istius doctrinae domicilii laus, fideliter et studiose Ecclesiae catholicae haerere, Romanumque Pontificem singulari pietate colere atque observare.

Sanctitas Sua id recognoscere gaudens, quod ad gloriam nominis vestri tantum valet, vos impellit, ut, qua soletis cura pergatis divinarum et humanarum disciplinarum investigatione salutis principium in populo tueri atque de Ecclesia splendide mereri.

Paternae autem benevolentiae gratique animi testem tibi, moderatoribus, doctoribus, alumnis magni istius Athenaei Apostolicam Benedictionem indulget.

Interea qua par est observantia me profiteor

Rev.^{mo} Patri
P. Christophoro Berutti O. P.
Univ. Frib. Helv. Rectori
Friburgum Helvetiorum

tibi
addictissimum
Aloys. Card. Maglione.